SUB | NIEDERSÄCHSISCHE STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK GÖTTINGEN

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Werk Id: PPN659038048

PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN659038048|LOG_0019

OPAC: http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

SECTIO XIII.

DE
SENSIBUS EXTERNIS
IN UNIVERSUM
SPECIATIM VERO
DE TACTU.

§. 227.

Alterum ut vidimus nervorum oſſicium in eo conſiſtit, ut externarum rerum impreſſiones ſenſorio communicent; fitque hoc ope ſenſuum externorum, qui vigiles quaſi ſunt corporis, animae vero inſtructores.

Et de his quidem ſolis heic nobis ſermo eſt. Nam et ſtimulum ad alvum ſolvendam, aut famen aliasve id generis voces naturae internas cum Gortero *)

*) Jo. de Gorter *exercitationes medicae* IV. Amſt. 1737. 4.

inter ſenſus referre, pridem monente Hallero, ſubtilitatis nimiae fuerit.

§. 228.

Et merito quidem in horum ſenſuum enarratione a *tactu* inchoemur: utpote qui omnium primus in homine nato ſe manifeſtet, et cuius organon per univerſam corporis ſuperficiem latiſſime pateat, et qui longe plurimis rerum externarum proprietatibus afficiatur.

§. 229.

Non ſolum enim aliquas rerum qualitates unice tactus ope percipimus, ut calorem, duritiem, pondus etc. Sed et de quibusdam, etiamſi aliis quoque ſenſibus pateant, tactus tamen adminiculo certiores demum reddimur, ut de figura, diſtantia etc.

§. 230.

Minus etiam quam alii ſenſus fallaciis obnoxius videtur; et cultura et ſtudio tantae perfectionis capax, ut aliorum

ſenſuum, praeſertim viſus, defectum quodammodo ſupplere poſſit *).

§. 231.

In univerſum quidem ſenſus huius organon **) cutis eſt, de cuius fabrica ſupra egimus; proxime tamen eidem inſerviunt corii papillae, variae in variis corporis partibus figurae, pleromque quidem verrucoſae ***), alibi fungoſae †), alibi filamentoſae ††) etc. quibus omnibus cutaneorum nervorum extremitates pulpoſorum penicillorum in modum terminantur.

*) cf. Rol. Martin in *Schwed. Abhandl.* Vol. XXXIX. a. 1777.

G. Bew in *Memoirs of the Soc. of Mancheſter.* vol. I. p. 159.

Ch. Hutton's *mathematical Dictionary.* vol. I. p. 214.

**) F. de Riet *de organo tactus* LB. 1743. 4. recuſ. in Halleri collect. anat. T. IV.

***) Dav. Corn. de Courcelles *icones musculor. capitis* tab. I. fig. 2. 3.

†) B. S. Albini *annotat. academ.* L. III. tab. IV. fig. 1. 2.

††) Ruysch *theſ. anat.* III. tab. IV. fig. 1. *theſ.* VII. tab. II. fig. 5.

B. S. Albinus l. c. L. VI. tab. II. fig. 3. 4.

§. 232.

Longe principalia vero tactus proprie ſic dicti, tanquam ſtereometrici ſenſus, inſtrumenta prae reliquis iterum *manus* ſunt: quarum cutis etiam ſingularia plurima prae ſe fert. In volis ſcil. et utrinque ad digitorum articulos ad facilitandam complicationem ſulcata eſt et depilis; extremi vero digiti tam manuum quam pedum, domeſtica facie elegantiſſimis ductibus plus minus ſpiralibus lirati *); exteriore vero ſilveſtri unguibus ſcutellati.

§. 233.

Sunt vero ſcutiformes eiusmodi *ungues* **) non niſi homini paucisque praeter eum mammalium generibus, [quadrumanibus inquam, quae nempe itidem tactu excellere conſtat ***)], eum in finem

*) Grew in *philoſ. Transact.* n. 159.

**) B. S. Albini *annotat. acad.* L. II. tab. VII. fig. 4. 5. 6.

***) Simiae ſcilicet, papiones, cercopitheci et lemures, utpote quibus digitorum apices in quaternis quibus gaudent manibus mollIſſimi, et

conceſſi, ut explorantium digitorum preſſioni reſiſtant paulo, et ita actionem eorum adiuvent.

Corneae ſunt naturae, in univerſum tamen epidermidi comparandi: nam et reticulum ipſis ſubiacet, in aethiopibus nigricans*); huicque denique ſubiectum corium, perioſteo extremae digitorum phalangis tenaciter adhaerens: quae omnes

---

humanorum digitorum in modum ſpiralibus lineis diſtincti ſunt.

Diſputatum quidem eſt inter phyſiologos, num praeter hominem ea quoque mammalia quae *quadrumana* audiunt, tactus ſenſu inſtructa ſint? In qua lite componenda ea conſiderare oportet, quae ſupra (§. 81.) de ſanitate varia pro vitae diverſo genere, dicta ſunt. Ambabus concedo puellae delicatulae niveas manus tactu exquiſito longe praecellere brutorum quae nominavi digitos. Ab altera autem parte ipſa autopſia toties expertus didici multas ſimias et papiones digitos habere longe molliores iisque ad explorandas tactu ſuperficiei corporum qualitates longe aptius uti quam barbaris plurimis gentibus liceat, aut innumeris infimae ſortis Europaeis, quibus ruſtico labore concalluerunt manus.

*) B. S. Albinus *de habitu et colore aethiopum* fig. 3.

partes conſtitutivae unguium in longitudem ſtriatae ſunt; poſtico margine (qui in manibus lunula ſignatus eſt), ſulco reflexae illinc cutis inſident, unde indies ſenſim increſcentes ita antrorſum paulatim protruduntur, ut quovis circ. ſemeſtri in integrum renoventur.